

## FERDINANDI I. IMPER. &amp; REGIS DECRETUM XII. ANNI 1550.

*Commissarii in Sclavoniam designati.*

## A r t i c u l u s 44.

Ad Sclavoniam, ad primum diem Maji, in Zamobor, Domini Episcopi, Bosznensis et Tininiensis, Dominus Batthyani, Egregii Magister Michael de Raven, ac Andreas Chorom; loco autem Directoris causarum; penes eos Magister Lucas, Canonicus Zagrabiensis et Archi-Diaconus Csazmensis.

*Comissarii in Sclavoniam mittendi, qui loca finitima perlustrent: Et ne Abbatia Toposka desoletur.*

## A r t i c u l u s 71.

Supplicant praeterea Ordines et Status Regni; dignetur Majestas Regia suos Commissarios in Sclavoniam dimittere, qui arces et fortalitia ejus Regni revideant et quae diruenda esse videbuntur, diruantur; et quae conservanda, conserventur et muniantur, ac provideantur.

§. 1. Idem etiam Commissarii, aedificia Civitatis Montis Graecensis et expensas per cives ad ea factas, diligenter revideant; et rationem ab eis de Tricesimis, annuente Majestate Sua ad id perceptis, accipiant.

§. 2. Querelas etiam omnes Praedialium, Abbatiae de Toposzka, contra Keglwyth audiant et differentias omnes inter eos definiant, modumque et ordinem statuunt; ne Abbatia ipsa per eundem Keglwyth gravari, ac desolari possit.

*Coloni ex Sclavonia ad loca sua redire permittantur.*

## A r t i c u l u s 72.

Statutum est etiam; ut rustici illi, qui vel propter famem, vel metum Turcarum, ex Sclavonia in Ungariam per hos annos emigrarunt: \*)

§. 1. Per eos, in quorum bonis sunt, si sponte redire voluerint, remittantur; nec retinere eos audeant, sub poena in Articulis migrationis colonorum expressa.

## FERDINANDI I. IMPER. &amp; REGIS DECRETUM XIV. ANNI 1553.

*Decretum reformetur: Per Status Regni recte examinetur: examinatum, Rex recognoscat; tunc approbet et confirmet.*

## A r t i c u l u s 15.

Quod vero ad revisionem reformati Decreti attinet, in praesenti Conventu faciendam; cum majoris ea res momenti visa esse sit, quam ut minimo negotio, brevique temporis spatio et inter caeteras nunc cùras absolvi queat:

\*) Ab his potissimum orti sunt Croatae, per confinia Austriae et Styriae diffusi, quos Germani Bosner-Croaten, aut Wasser-Croateu vocitant: De quibus proluxe agitur, in cit. Rubr. ad b. art.